

CAPUT IV.

P Ag. 15. *Cain civitatem edificavit.*) Huc vide D. Augustinum lib. 15. de Civitate Dei. c. 5. & 8.

P. 16. *16. de Civit. Dei.*) c. 17. Idemq; latius pertractat. lib. 18 c. 2. 3. & verba Augustini hoc loco protrahuntur usq; eo; Romam velut alteram in occidente Babylonem.

P. 18. *Asyriorum Medorum &c.*) Claudianus lib 3. in laud. Stilicon.

— *Sic Medus ademit*

Asyrio, Medoq; tulit moderamina Perses,

Subiecit Persen Macedo, cessurus & ipse

Romanis —

CAPUT V.

P Ag 19. XVIII. *de Civit. Dei.*) cap. 21. 22. & sequentib. Ex quo sequentia omnia desumpta sunt, usq; ad capitis finem.

Expositos lupa nutrierit.) Ut Cyrum regem canis: vel potius pastoris uxor, cui Spacos nomen, quod canem Persis sonat. Justino auctore.

P 21. *Neq; ab exordio ullum minus*) Plutarchus lib. de fortuna Romana à summis & velocissimis incrementis, & singulari successuum felicitate arguit, non esse humana vi sed Deorum numine & auspiciis id Imperium comparatum.

CAPUT VI.

P Ag. 24 *Superbum*) Pacatus Panegyrico: *Tarquinius execratione postrema damnaverunt maledicto, vocaverunt superbum, & putaverunt sufficere convicium.* Servius in XI. *Æneid.* *Apud maiores superbia ingens facinus fuit, adeo ut Tarquinius pro multis sceleribus Superbi nomen acceperit: & Vergilius Superbi epitheton proprium Turni facit, pro ingenti scelere.*

P. 25. *Imperium annuum.*) Verba sunt Eutropii, & Halicarnassei, lib. III. in fine Uni Africano superiori, sed recusanti, populus Romanus consulatum continuum per ætatem esse voluerat propter maxima eius merita ut Valerius refert lib. 4 c. 1. Consulatum *annuum honorem* vocat Seneca lib. 1. de ira, cap. ult. Cyprianus & Lactantius

V